DE PUSTULA MALIGNA.

DISSERTATIO
NAUGURALIS CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

LMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS 1866

DIE XIX. M. FEBRUARII A. MDCCCLXVI. HORA XI½

PALAM DEFENDET

AUCTOR

BOLESLAUS DASZKIEWICZ,

POSNANIENSIS.

PARTES ADVERSARIORUM AGENT:

GOLSKI, CAND. MED. ET CHIRURG. S. MIECZKOWSKI, STUD. MED.
M. BELINA, CAND. JURIS.

VRATISLAVIAE.

TYPIS F. W. JUNGFERI.

COMITI

CAESARI DE BRÖEL-PLATERO

EQUITI ORDINIS VIRTUTI MILITARI ETC.

VIRO ILLUSTRISSIMO, HUMANISSIMO, DILECTISSIMO,

SUMME SEMPER A ME VENERANDO

HIC LIBELLUS SACER ESTO.

I. Pars historica.

Quum anno superiori in Magno Ducatu Posnaniensi fuissem, in locum aliquem veni, ubi Pustula maligna inter pecora late vagabatur, qui morbus multos etiam homines infecit, et, qui cibo pecorum aegrotorum vescebantur, et qui ea attingebant. Eodem anno Kijoviae, urbe Russiae, occasio se mihi praebuit, obductionem hominis Pustula maligna, vel ut hic morbum hunc appellant: »Jazwa sybirska« mortui, videndi et quaedam animadvertendi. Praeterea nuper medicinalia acta diurna Parisiensia, quibus titulus est: »Comptes rendus«, anni MDCCCLXIII—IV—VI legi, ubi optimam commentationem de natura Pustulae malignae: »Recherches sur la nature et la constitution anatomique de la pistule. Maligne, par Davaine« veni. Hac erant causae, quae me impulerunt, ut de hoc gravi morbo aliqua scriberem, et observationes, quas feci, exponerem. Sed prius quam de hoc morbo apud homines scribam, necessarium puto brevem quoque historicam adumbrationem Pustulae Malignae, dare, et optima atque gravissima, quae in libris medicinae veterinariae Doctorum Spinola, Kausch, Heusinger et aliorum de pathologia et therapia hujus morbi apud animalia inveni, exponere, quia hoc modo edictis prophylacticis disciplinae publicae, neque minus prophylacticis medicinae edictis, vis hujus periculosi morbi aliqua ex parte coerceri potest.

Pustula maligna in omni orbe terrarum ab ortu solis ad occidentem, a regione septentrionali terrae ad meridianum grassatur, et nulli animali, nec minimo nec maximo

parcit; nec elephantibus nec muribus, nec avibus aut piscibus, nec animalibus, quae herbis, aut carne vescuntur, nec bestiis ferocibus, aut animalibus, quae nobiscum degunt; ne homo quidem a contagine securus est, et, si cito medicus ei non succurrit, moritur. Prima hujus morbi indicia temporibus jam fabulosis invenimus, morbi, qui horribilem fecit perniciem inter homines et bestias, totis regionibus et provinciis non pepercit, quamobrem fortasse in quinti et sexti Aegypti mali numerum referebatur. Invenimus quidem ex eo tempore descriptionem morbi, Pustulae Malignae persimilem. Praecipue horribilis morbus hic temporibus Graecorum et Romanorum fuit, quamquam in variis terris, varia nomina pestilentiae hujus exstiterunt. Cum progressu cultus atque humanitatis et agriculturae, magnopere coercita est haec pestilentia et cum tanto furore non grassatur; sed nonnunquam etiam in regionibus oritur, in quibus armenta et greges antiquo adhuc more habentur et in pabulum eodem ut prius modo expelluntur; vel in regionibus, quas omni cura et studio non neglectis, annis abhinc pluribus, Pustula Maligna praecipue sibi delegit. Antiquissima historica vestigia hujus morbi in Lib. II, cap. 9, v. 3, et Lib. I, c. 3, v. 3, Moysis invenimus, qui eum his verbis describit: »aër non purus, aqua foetida, herbarum vita grandine corrupta.« Luem hanc in Aegypto saepe saevisse ex posterioribus scriptoribus ut Columella et Bolo Mendesio apparet. Post servitutem Aegypticam praecepta legum Judeorum a Levitis vel jam a Moyse ipso fortasse data, legimus, ut animalia sana a pestilentia affectis sejungerentur, neve aegrota attingerentur et si id factum esset, cutis atque vestes eluerentur atque detergerentur; ex quo apparet, antiquissimis jam temporibus translationem hujus morbi per contagionem ab animalibus ad homines animadversam esse. Similia quoque in Homeri carminibus — Ilias I, 50-52 — invenimus, qui nobis de morbo quodam extremis annis belli Trojanici grassante, narrat, qui initio animalia, postea homines quoque vexabat. Ovidius sive ipse morbum hunc vidit, sive de eo audivit — Metamorph. VII, 536-585 — de pestilentia

quoque narrat, quae ab animalibus ad homines translata est, cujus morbi descriptio conjecturam nobis permittit, poëtam Pustulam malignam sub forma Anginae authracicae, vidisse. Carbunculum pestilentialem antiquissimis jam Romae temporibus animalia et homines vexavisse optimum testimonium nobis praebent scriptores, qui sequntur. Plutarchus, narrans, duodecimo anno regni Romuli, anno 740 a. Ch. Romae pestilentiam saeviisse, quae sine praecedentibus symptomatibus primo pecora, deinde homines affecisset. Dyonisius Halicarnaseus eadem tradeus — Antiq. Rom. Lib. II, p. 116 — addit morbum hunc Roma Laurentum, qua cum urbe Romani amicitiam et commertium habebant, translatum esse. Hujus verba magis jam historia nituntur. Tradit ille nobis pestilentiam hanc minus inter homines, quam inter animalia grassatam esse; naturam morbi apud homines et bestias ejusdem generis fuisse; anno illo fructus male perceptos esse; tempestatem turbidam atque pluviosam, alterante permagno calore, fuisse, quae omnia Pustulae malignae favebant. Livius — Hist. lib. III, c. 6, c. 22 — de contagioso scribit morbo, qui anno 461—425 a. Ch. in imperio Romano homines atque bestias consumebat. Silius Italicus — De bello Punico sec. Lib. XIV, v. 585-620 — poëtice narrat, inter oppugnationem Syracusarum in Marcelli exercitu contagiosam illam saeviisse pestilentiam, quae primum canes, tum aves, denique bestias in silvis affecisset. Sunt, qui contendant, morbum semel tantum grassatum, a variis veteribus Romae Annalium scriptoribus, saepe descriptum esse. Non habemus cur hoc concedamus considerantes, veteres Romanos pecuariam fecisse, magnos pecorum greges habuisse, res, quae morbum semper adjuvat; translationemque ejus in homines praecipue rebus sacris incitatam esse. Praecipue enim Etrusci et postea quoque Romani e visceribus animalium necatorum vaticinabantur, eaque victimas immolabant. Hoc modo multi et ante omnes sacerdotes contagine afficiebantur, quae Livius Lib. XLI, c. 21, accurate describit. Usque ad illud tempus e descriptionibus tantum aliquid de hoc morbo comperimus, Lucretius primus hunc

morbum Ignem sacrum appellavit. Apud Thucydidem — Lib. II, c. 47-54 — quum pulcram tum terribilem descriptionem ejus invenimus. Seneca in primo toto actu Oedipi multa de hoc morbo narrat, et nomine: »Ignis sacer« utitur. Virgilius in tertio libro Georgicorum de morbis animalium longe lateque agens, extremo Ignem sacrum, morbum singularem, oves saepe vexantem, etiam lanam contagine afficientem, describit. Eadem apud Columellam, apud Plinium et apud multos alios Romanorum, rerum sacrarum et a populo gestarum, scriptores, invenimus. Primam commemorationem Pustulae malignae in Francogalia apud Mezeray — Histoire de France — invenimus, quae anno 996 Mal des ardeus, 1090. Ignis sacer vel Ignis Sancti Antonii nominabatur et illic late grassabatur. Joannes Virus, medicus saeculi XVI in libro suo: »De praestigiis Daemonum« narrat Francisco de Pergula, anno 1552 ad Lucam morbum quendam inter pecora exstitisse, quo animalia oedemate affecti essent et subito morerentur; homines attingentes sanguinem contagine afficerentur; eadem iis occurrit, qui carne cocta vescerentur; in morbum autem non inciderunt, qui animalium non adeo aegrotorum carne vescerentur. Anno 1598 et 1599 morbus hic iterum in Italia erupit et vis contaginis ejus jam tam erat nota, ut Senatus Venetiae, poena capitis proposita, vetaret, ne caro boum, butyrum aut caseus venum iret. Athanasius Kircher in suo Scrutino phisico-medico pestis Sectio I, c. 9, morbum contagiosum anni 1617 describit, qui ad Neapolin exstitit, et ita se manifestabat, ut boves tuberibus in collis afficerentur morsque suffucatione veniret. Carne horum animalium usi 60,000 hominum mortem occubuerunt. Journal des savants de 30 Nov. m. 1662 morbi hujus a bestiis ad homines translationem scribit. Praeclaro Ramazzini aegregiam descriptionem anginae anthracicae — De epidemia contagiosa, quae etc. — debemus. Ita paulatim semper meliores certioresque descriptiones Pustulae malignae legimus, sed initio demum XIX saeculi Germano Dr. Kausch — Berolini 1805 — optimam atque certam descriptionem ejus morbi praebere con-

tigit. Sejunxit ille eam a peste maligna et docte demonstravit, XVIII saeculo utrumque morbum uno eodemque tempore grassatum esse. Anno 1726 Pustula maligna horribile in Polonia, Silesia, Saxonia saeviit. Qua in re observatum est imbrem de foliis melliginem abluisse et in stagna prope sita duxisse; animalia omnia, aqua ex iis usa, Pustula maligna moriebantur. Homines quoque, qui ea attingebant, mortem occumbebant. Anno 1731, 1757 et 1768 in Francogalia Pustula erupit, cui nomen Glossantracis datum est. Tubera, qui in pectore se ostenderant, L'avant coeur et L'anti coeur nominabantur. Anno 1758 Pustula maligna in Finnlandia et Russia; 1761 in Normandia; 1774 in Guadelupa in America grassabatur. Facile fieri possit, ut Pustula cum alio quodam morbo confunderetur, sed in epizootico morbo vix hoc credere possumus.

II. Anatomia pathologica morbi animalium.

Pustula maligna morbus est sanguinis, qui se solutione — Dyscrasia — manifestat. Singularis ea solutio, hanc nobis imaginem praebet, quam partim oculis non armatis, partim microscopio observare possumus. Sanguis fit niger, glutinosus, liquidus, solutus, qui potestatem coagulandi perdidit et multitudinem flavi, gelatinosi liquoris in se continet, qui in sanguine misso residet. Sub microscopio corpuscula rubra sanguinis soluta videmus, quae potestatem in aëre se colorandi perdiderunt, neque minus sanguis acescit et Ammonium carbonicum vel hydrocyanicum continet. Praeterea corpuscula, bacillis similia, in eo invenimus, quae a multis singularia morbi insignia dicuntur. Has species semper in Pustula maligna videmus. Sanguinis solutione celerius vel lentius progrediente, etiam morbi progressus vehementior vel minus vehementer se manifestat et animalia, vel prodromata ostendunt, vel perpasta sine ullis morbi signis, laborantes collabuntur. Hic exitus nomine Anthracis apoplectici afficitur. Saepius vero animalia sollicitudinem monstrant, titubant, spiritum aegre ducunt, crura dispergunt,

cadunt, surgere conantur et sine ullo sensu et sine mente videntur esse. Rarius commotiuncula haec usque ad rabiem crescunt — Rabies Pustulae malignae. — Animalia huc illuc concursant, convelluntur, spasmo, convulsionibus in artubus vexantur; ex ore saliva sanguinea fluit; pulsus parvus, mollis; truces oculi exstinguuntur et mors paucis horis sequitur. Hic est Anthrax acutissimus. Alias morbus lente sequitur, animalia frigore et febri jactantur; omnibus contremiscunt artubus; aviditatem cibi appetendi perdunt; demisso stant capite in stabulo; alvum emissis saliva atque sanguine raro exinaniunt. Status hic a Germanis: »Milzbrandrückenblut« appellatur. Equi dolore etiam colico afficiuntur. Boves spiritum perdunt, vaccae nullum dant pene lac, aquam non bibunt, strangulantur, quo canes ad vomendum coguntur et cibos sanguine et saliva permixtos evomunt. Saepe in Anthraci acuto febrim typhoidalem — Febris anthracica, — secretionem lacrymarum auctam, temperaturae mutationem, membranae pituitariae decolorationem, sanguinis e poris sudationem, in omnibus omnino excrementis sanguinem, in organis autem Ecchymomata et Petechias comperimus. Si manu locum morbo affectum mulcemus, stridorem audimus, gangraenam stridentem appellatum denique meteorismus, convulsiones et mors venit. In lento morbi progressu tubera, tumores, oedemata, papulae et pustulae in variis corporis partibus se formant, quae efficiunt, ut morbus longius vel breve duret, sed nunquam periculum depellunt. Carbunculi manent parvi vel magnopere crescunt, animalia valde turpantes, et apud equos bovesque in pectore orti, genua etiam attingunt, molles sunt vel duri, fluctuantes vel oedematosi, dolore afficientes vel omni sensu carentes, liquore flavo vel sanguine impleti. In Erysipelate carbunculoso parvae pustulae se tollunt, quae diruptae, Erysipelas gangraenosum evocant. In locis oedemate non affectis nonnunquam Urticariam carbunculosam vel fissuras et rimas, e quibus liquor subfuscus stillat, qui ulcera gangraenosa adducit, invenimus. Ut in cute pustulae se formant ita quoque in sectionibus similes in interioribus

videmus, ut exempli gratia in regione frenuli linguae, cujus pustula liquorem flavum continet, qui ulcerationes hoc loco evocat. Multi pathologi ulcera in febri animadversa causam primam morbi hujus esse putant, eaque Anthracem carbunculosum sive idiopathicum, Typhum etiam carbunculosum appellant. Hanc cellerem extensionem cum rubore atque calore carbunculorum eorum veteres Ignem sacrum nominabant. Locus dilectus eorum sunt glandulae colli et axilares — Carbunculus glandularis, Pestilentia bubonum, Anthrax glandularis — quarum inflammatio permagnam similitudinem Typhi praebet. Nomen carbunculi nigri vel albi nihil aliud, nisi colorem cutis mumificatae, in qua pustulae se tollunt, monstrat. Non raro quoque conformatio earum cessat et excavatio incipit, quam Gangraena sequitur — Erysipelas carbunculosum gangraenosum. —

III. Symptomata morbi animalium.

Varia animalium genera, eorumque sypmtomata morbi respicientes, nonnulla singularia indicia invenimus, quae paucis verbis enarrare volo. Apud aves cohortales morbus hic primariusne an contagine oriatur, non satis liquet, sed altera opinio certior esse videtur, nam has aves tum demum Pustula maligna affectas videmus, quum in stabulis nostris alia jam animalia laborant; praeterea quoque loci pennis non tecti primi contagine afficiuntur. Hoc modo apud eas Anthracem pectinis, capitis, oculorum, palati et linguae habemus. Eadem apud phasanum et gallum indicum invenimus. Anseres et anates verisimilius contagine, quam morbo primario inficiuntur et de iis nihil quoque certi dare posumus. Ut in commotiunculis ita quoque in progressu morbi variae hic sunt diversiones. Generalia symptomata saepe multa habent singularia indicia, quamquam cum symptomatibus alii morbi confundi possunt. Diligentem observatorem tamen nonnulla, ut faeces subfuscae, metheorismus, febris, rapidus progressus, praecipue autem carbunculi for-

matio, qui in nonnullis Epizootiis in certis corporis partibus oritur, ad rectam diagnosin ducere possunt, quae nos tamen fallere non debent, considerantes nonnullas corporis partes et aliis contaginibus patere. Quod ad formam Pustulae malignae, mortem aut celerrime, causa adhuc non cognita, ingruentem videmus, aut lentius progredientem, quod e sede carbunculi pendit. Apud certa animalium genera, certas varietates formae morbi animadvertimus, quae exempli gratia in acuta febri, pustularum tuberumque formatione, sanguinis defaecatione, angina anthracica, quae praecipue subite necando periculosissima est, se demonstrant. Mirum est in grego robustissima et perpasta animalia prima morbo affici, quare taurum primum in morbum incidere putabatur. Varia animalium genera comperantes, equos non subito mortem succumbere, raro sanguinis defaecationem, raro pustularum formam, saepius autem dolores colicos authracicos, anginam authracicam habere, invenimus. Apud boves cum febri authracica stasis sanguinis conjuncta est neque minus sanguinis defaecatio, urinae sanguineae secretio, glossanthrax et angina authracica. Apud oves mors subito apoplexia venit. Sanguis ex omnibus corporis foraminibus fluit, temperatura augetur, Ignis sacer sive Sancti Antonii sine dubio huic adnumerandus est generi. Si pustulae et gangraena se formant, morbi forma, in variis corporis partibus, varie appellatur, ut Anthrax capitis, umbilici vel mammae. Apud capras nihil singulare invenimus. Sues a pustula celerrime necantur, iis, ante omnia animalia, sanguinis defaecatio propria esse videtur, nec minus Stomanthrax hordeoli. De canis et felibus observationes certissimas non habemus, experimenta autem demonstrant, feles totumque earum genus omnium animalium celerrime necari. De avibus nullae certae descriptiones. In ipsa Pustula maligna alii quoque morbi imflammatorii exoriuntur, complicationes facientes, de quibus narrare necessarium non puto, quia fines hujus dissertationis ea non permittunt.

Quod ad tempus morbi Pustulam malignam animalia

minutis, horis vel diebus necare, dicere possumus. Nunquam vero diutius octo dies durat. Exitus fere semper est lethalis, sanatio rarissima. Saepe, pustula formata, parvam remissionem videmus, quae diu non manet; febris ipsa habet acme vulgare. Sectiones semper eadem, id est sanguinis solutionem demonstrant. Cadavera lente refrigescunt, cito putrefiunt, foetidum odorem edunt. Jam morte ingrediente sanguis est niger, tenuis, solutus, versicolor, qui ex omnibus naturalibus foraminibus, ut e faucibus, naribus, recto et vagina, fluit. Cute detracta omnia vasa capillaria et omnes venas, quum in cute ipsa, tum in tunica subcutanea sanguine nigro turgescere videmus. Adeps imminuitur, fit fluidus, in tunica autem adiposa liquorem flavum, gelatinosum invenimus. In regione omnium vasorum lymphaticorum, et in omni tunica cellulosa magnas transfusiones sanguinis imbibitionesque, quae colorem rubrum et purpureum, usque ad ossa procedentem, efficiunt, videmus. Mutationes, sanguis, qui est niger, liquidus, nunquam coagulatus, cum flavis et pinguibus guttis mixtus, constantes praebet nobis. Apud boves saepissime transfusiones sanguinis per totam columnam vertebralem habemus. Musculi nigri, ut coagula sanguinis, se nobis praebent; cavum thoracis et pericardium flavum sanguinem continent; in pulmonibus multitudo nigri sanguinis, in bronchis pituita sanguinea, in glandulis bronchialibus flavus est liquor; cor ipsum nigro, soluto sanguine impletum; auricula autem cordis dextra maculis nigris pertecta est. In cavo peritoneali multitudo flavi liquoris; quae alvus continet, sanguine mixta; cibi sicci; intestinum rubescens; in omento et mesenterio maculae purpureae; hepar non semper mutatum et in superficie ejus ecchymoses, in parenchymate sanguis niger; tunica mucosa vesiculae felleae maculis nigris tecta. Lien semper mutatum coloris est nigri, cum maculis purpureis et transfusione sanguinis; saepe magnopere est amplificatum; substantia ipsa in pulticulam nigram permutata, sive morbus longus, sive brevis fuit. Organa urinaria et genitalia sanguine omnino sunt impleta. Meninges et plexus chorioïdei

cerebri sanguine turgescunt, ventriculi cerebrales liquorem flavum continent. Apud aves cohortale paene semper copiosam effusionem aquae sub cute animadvertimus.

IV. Aetiologia morbi.

Nunc ad difficillimam dissertationis partem, id est ad causae hujus morbi descriptionem venio, quam nemo adhuc satis accurate fecit. Accusationes miasmatis, malariae, epizootiae et enzootiae, inclinationis, epidemicorum temporum anni, pauca vel nihil demonstrant, quamquam negare non possumus, res aliquas esse Pustulae malignae admodum faventes, quas enarrare volo. Probabilissima experimenta a Davaino facta mihi esse videntur, quorum jam initio mentionem feci. Davaine in centro pustularum, animalium Anthrace aegrotorum, parasitas, quae Bacteridiae vocantur, invenit. Tertio die pustulae formatae magnam multitudinem earum in Malphighii reti invenit, quae brevi tempore in sanguinem transierunt. Vaccinatio hujus sanguinis in sanum morem porcellum necat eum secundo die. In sanguine ejus magnam multitudinem Bacteridiarum invenimus. Huic sententiae Davaini Léplat et Jaillard, in dissertatione: »Nouvelles experiences pour démonter, que les Bacteridies ne sont pas la cause du sang de rate; in Comptes rendus V. LXI anni 1865, p. 436: «repugnant. Bacteridias in sanguine animalium, Pustula maligna laborantium, nihil aliud, nisi productionem cadaveris esse, neque ad translationem morbi necessarias esse, contendunt. In inoculatione sanguinis, Bacteridiis permixti, de ove in cuniculum Bacteridiae defuerunt, quamquam idem sanguis cuniculi cum exitu lethali inoculabatur. Pasteur in sanguine cuniculorum eorum nihil aliud, nisi vibriones, nec unam quidem Bacteridiam Davaini invenit. His viris eum objurgantibus, Davaine in ultimis actis diurnis, quae commemoravi, se rursus experimenta repetiisse, eademque, ut prius, invenisse, seque paratum esse, iis viris praesentibus, ea iterum facere, respondit. Quidquid id est, haec digna sunt observatione;, aegre tantum fero me ea nesciisse tempore, quo sanguinem recentem

de Pustula maligna habere potui ad experimenta nonnulla facienda, spero tamen me in eadem regione brevi tempore ea facturum et, si quid novi inveniam, scripturum esse. Nunc omnia, quae huic morbo favent, momenta enarrabo. Pustula maligna in toto orbe terrarum grassatur, aliis tamen regionibus saepius, aliis nunquam exstat; omnia quoque animalia vexat, quorum nonnulla tamen majorem, vel minorem ad morbum hunc inclinationem ostendunt. Ita exempli causa animalia, quae herbis vescuntur inclinationem ad morbum primarium maximam ostendunt; apud animalia, quae carne vescuntur, contagium vim majorem habet. Animalium domesticorum feles facillime morbo afficiuntur; robustissima atque perpasta majorem ad morbum individualem inclinationem, quam debilia ejusdem generis, habent. Causis praeparantibus, inclinatio, quae enzootica dicitur, in regionibus a Pustula maligna dilectis, adnumeranda est, hic, modo humus aquam transmittens, modo non transmittens; modo multitudo animantium in humo se dissolventium; coelum; loci superiores vel inferiores; aquae qualitas accusatur; denique regiones malariae. Initium atque progressum morbi calor, tempestates, fervidissima diei tempora, siccitas, regiones palustres sequuntur. Praecipua vero causa sine dubio qualitas est potus et cibi. Situm et parasiticos boletos in herbis, aliosque corruptos cibos, aquam cryptogamias atque infusoria continentem, quibus animalia vescuntur, unicam esse causam morbi constat. Aliae causae, corporis defatigatio in calore, electricitatis effectus atque fulgures, imbres post longam siccitatem, perfrictio, nebula et ros, boni atque mali invicem cibi, inopia aquae, insecta, — Tarantula — animalia atmospherica et venena habentur. Pustulam contagini facillime patere notum et jam demonstratum est. In omnibus corporis partibus, in crinibus quidem continetur, qualis autem sit naturae, bene nescimus. Davaini observationes hanc rem perspicuam fortasse facient. Id tantum certum est, contaginem non solum ab interna, sed etiam ab externa parte cutis percipi, atque omnia animalia morbo huic obnoxia esse. Proxima vero causa in sanguine que-

renda est. De augenda vero Pustula maligna id demonstratum est, eam a ventis non pulsam, in diversis regionibus considere, moenibus vero atque parietibus retineri. Ad infectionem contaginis parvum tantum temporis momentum sufficit. Incubationis tempus aut brevis aut longius est. Morbus semper ab infectionis loco oritur. Intensitas ejus e diversis animalium generibus, e vehementia morbi, vel ex effectu coeli pendet. Unum quodque animal a Pustula maligna non semel, sed saepius affici potest, nisi in affectione ipsa, qua de re ipse experimentum feci, neque ullum incubationis vidi effectum. Pustula maligna, pestilentia, certum tempus durat; per aestatem atque hiemem nunquam eam saevire videmus, sed saepe in vere iterum oriri, quod causa cibi praebendi esse videtur.

Diagnosin et indicia Pustulae jam attuli, neque ea repetere volo, hoc tantum addo, eam cum gangraenosis inflammationibus ut gangraena pulmonum, gangraena uteri, apoplexia sanguinea, apud oves praecipue cum tympanita, veneficio, serpentis morsu, furunculis, facile confundi posse.

Prognosis vulgo infaustissima est, rari sunt enim sanationis eventus noti, exempla tamen afferuntur, quibus morbus hic, pestilentia, magis vel minus malignus fuit.

V. Therapia morbi animalium.

In therapia Pustulae malignae duo momenta spectanda sunt, id est therapia curativa et praeservativa, quae in edicta prophylactica medicinae et prophylactica disciplinae publicae dividitur. Therapia curativa in tam periculoso morbo parvi est momenti. Praecipue spectandum est, ut periculosa sanguinis permixtio ejusque effectus, tollantur, neve therapia localis carbunculorum et pustularum negligatur. Therapia neque generalis, neque localis excludi possunt. Medicamentorum multi multa proposuerunt, quorum optima tantum et exploratissima afferre volo. His adnumerandus est praecipue parva sanguinis missio plerumque repetita et quidem morbo oriendo. Oves tantum et caprae non facile

eam tolerant. Perfusio frigidae aquae non semper est adhibenda, quamquam nonnunquam optima esse videtur. Ubi hanc curationem admovere non possumus infricationes Acidi acetici soli vel cum spiritu camphorato et oleo therebintini; fumationes stabuli acid. acet; pili in funem contorti; cauterisationes galvanocausticae; klismata; kali nitric.; Tart. stib.; Calcium et Natr. chlor.; Calomel; Acid. miner. et vegetab. Acet. erudum, Acet. pyrolig. Liquor ammon. caust. adhibendi sunt. Curantes praecipue spectare debent, ut carbunculi usque ad sanas corporis partes exscindantur et gangraena repellatur. Pustulas formatas sine mora, maximo cum studio, exstinguere debemus, omni loco, et periculosissimo quidem. Sanguinis defaecationem infusione acidi acetici fervidi facillime tollere possumus. Prophylaxis ante omnia causae remotionem; deinde vitam animalium ad regulam directam; commutationem pabuli; frigidam et sanam aquam, quae res maxime necessaria est; coelum salubre in stabulis; bonum pascuum; bonam agriculturam postulant. Denique genus frumenti in agris demissis; diei tempus, quo animalia in pascuum expelluntur, observanda sunt. Nonnunquam medicamentorum usus utilis est. Pustula maligna jam erupta vitam animalium ad regulam dirigere, acidum potum iis dare, perfusiones frigidas et multa alia facere debemus. Praesertim tamen sana animalia ab aegrotis sunt sejungenda, eorumque valetudo inspicienda. In descriptione et therapia morbi animalium, Pustula maligna aegrotorum longe versatus sum sed id feci, haud ignarus, translationem contaginis ab animalibus ad homines magni momenti esse, cognitionemque tantum pestilentiae, ejusque oppressionem, homines ab illo periculoso morbo defendere posse.

VI. Historia morbi hominum.

Periculosa translatio contaginis Pustulae maligne ab animalibus in homines jam antiquissimis temporibus nota erat, quod e descriptionibus apud Moysem, Homerum, Ovidium, Plutarchum atque alios scriptores perspicuum est. Quum vero

hüic morbo nullum nomen, neque critica ulla aut accurata descriptio fuerit, non est mirandum eum persaepe cum plerisque aliis morbis commutatum et eo, magnum quoddam Chäos ortum esse. Unaquaeque gens et omne fere saeculum novum et persaepe falsisissimum nomen invenire conabantur, sed in omnibus descriptionibus gravissima hujus morbi symptomata eadem fuisse invenimus. Exempli causa nomina: »Ignis sacer sive Sancti Antonii, Ignis persicus, Anthrax apoplecticus, acutus, Anthrax stridens, Urticaria carbunculosa, Anthrax idiopaticus, Pokalvar, — Hungariae — Pustula livida, — Esthoniae — Czárna krosta, — Poloniae — Jazwa sybirska, — Russiae — Pustula gangrenosa, Pemphygus hungaricus, Carbunculus gallicus, polonicus, hungaricus, septentrionalis, morbus pustulosus finnicus, puce malignae, Bouton malin, sang de rate« affero. Quo plura sunt nomina morbi ejus, eo major confussio in historia pestilentiae hujus, quia plurima falsissima sunt. Usque ad finem superioris saeculi nullum fere ordinem reperimus, nam quicunque morbus inflammatorius exstitit, Anthraci adnumerabatur. Medio demum saeculo XVIII Pustulam malignam ab iis morbis, quibus homines simili modo afficiebantur, distinguere incipiebant medici. Bonam quandam dissertationem de hoc morbo anno 1769 reperimus, quae Fournier in Francogalia satis accurate pustulam describit, eamque a carbunculo vulgari et furunculo distinguit. Hoc scripto vulgato, Academia Dijonensis praemium promisit ei, qui optimam dissertationem de hoc morbo scriberet; quod Chaussier, vir doctissimus, assecutus est. Opus ejus: »Méthode de traiter les morsures des animaux enragés et de la vipère, suivie d'un Précis sur la pustule maligne, Dijon 1785« usque ad nostrum tempus optimum atque accuratissimum sui generis remansit. Hoc auctore historiam Pustulae malignae hominum in tres periodos dividere possumus, prima ab antiquissimis temporibus usque ad finem XVIII saeculi procedit; secunda multa publica opera de infectione carbunculosa, quae fine superioris saeculi scripta erant, continet; in tertia denique atque gravissima observationes optimae clarissimorum virorum Bour-

geoisi, Nourgi, Salmoni, Societatis medicalis Euerensis atque Loirensis, Breuelli Dorpatensis, Raimberti et Aliorum scriptae sunt. Inter Germanorum scriptores Kausch, Militschiensis, a. 1805 acuratissimam monographiam de Pustula maligna scripsit et ab Academia Berolinensi praemio ornatus est. Extremis annis litteratura de hoc morbo admodum aucta est. Et mox fortasse nonnulla gravissima comperiemus.

VII. Pathologia et anatomia pathologica.

Obductionibus hominum, Pustula maligna mortuorum, factis, easdem commutationes atque apud animalia reperimus, qua de causa eas brevi tantum commemorare volo. De sede contaginis supra jam dixi atque sanguinem, lien, quae cava continent, carbunculos authracicos, praecipue commemoravi. Animalia contagium re vera habere, eoque homines affici nullum est nostro tempore dubium, quamquam sunt, qui hanc rem incertam esse putent, in quorum numero Bazedow — Walter's Zeitschrift für Chirurgie, 1828, B. XII, p. 595 — inoculationem Pustulae malignae atquem infectionem cadaverum, eadem efficere, affirmat. In hac disputatione id tantum grave comperimus, non in omnibus corporis partibus animalium aegrotorum, substantiam inficientem eandem vim habere. Praeterea unusquisque medicus peritus affirmare potest, se nunquam veneno cadaverum sine vulnere externo et solo tantum tactu, adeo infectum esse, ut paucis horis carbunculi periculosi se formarent.

Venenum Anthracis non semper ejusdem intensitatis esse multa experimenta demonstrant, quod partim ex individuali, partim ex epizootica constitutione pendet. Omnia animalia domestica a Pustula affici scimus et tamen non raro reperimus modo oves, modo equos, modo sues in majori numero morbos obnoxio esse, atque tum vim epizootiae diversissimam esse. Pariter contagio diversa vi oritur. Homo maximo in periculo versatur si equi vel boves Pustula maligna affecti sunt; praecipue vero in acutissimo progressu morbi. Minime periculosam translationem contaginis ab

hominibus in homines esse dicunt, qua de re scriptores Francogalorum longe lateque disputant et singularia exempla praebent. Ita studiosus quidam Bayer'o presente venenum — quale incertum — ab homine, Pustula maligna affecto, sibi inoculavit, quae translatio nullum habuit effectum. Quatuor similia experimenta Societas Eurensis et Loirensis vulgavit, eaque effectum non habuisse contendit. Quod incertius mihi esse videtur, quum Thomassin et Maucourt, diligentissimi atque sapientissimi viri, experimentibus quoque nisi, translationem ab hominibus ad homines asseverent. Hic Bazedowii sententia optima mihi esse videtur, qui, non omnes corporis humani partes, eandem contaginis vim continere, putat; neque scimus qua materia Bayer et Societas Loirensis, cujus mentionem feci, ad inoculationem usi sint. Multa certa experimenta, Pustulam in homines facillime transferri posse, demonstrant; venenum ab hominibus in animalia, ut in canes, oves, cuniculos transferri, satis liquet, symptomatorumque identitatem demonstrant. Quonam modo homo a tam periculoso veneno tutus esse possit?! Experimenta modo narrata Follin in: »Traité élémentaire de pathologie externe« nobis profert. Ab homine Pustula maligna aegroto, de tuberculo venenum in boves, oves et canes translatum est, et septem et decem ovium decem subito mortuae sunt; caeteris animalibus externa ulcera defuerunt sed periculosa febri affecta sunt, cujus effectus intoxicatio generalis fuit. Num cetera animalia mortua sint, an non, Follin nihil dicit. Jam diversissimas atque sibi maxime repugnantes sententias de vi carnis nocendae animalium, Pustula maligna mortuorum, afferre volo. Plurimi scriptores carnem coctam non nocere, externaque tantum contagine venenum transferri posse, dicunt. Ex iis, quae ipse vidi, quaeque a medico sapientissimo atque doctissimo Dr. Gerpe, Łabiszyni, qua in regione Pustula maligna quotannis fere grassatur, comperi, certo fere contendere conarer, carnem animalium Pustula maligna affectorum periculosissimam esse, maximeque hominibus nocere. Ad quam rem putandam exempla haec me adduxerunt. In pago Baranie vacca,

Pustula maligna mortua, sed, ut apud rusticos fieri solet, non infossa, sed caro divisa et venum data est; mox homines nonnuli, qui carnem ederunt, Pustula maligna affecti sunt. In una familia pater, soror ejus et infans in pectore carbunculis et generalibus symptomatibus affecti sunt. Matri, quae carnem quoque edit, morbus pepercit, sed infantem corripuit, quod nihil alio, nisi suctione factum mihi esse videtur, quum non in loco nudato, sed in regione musculi glutaei maximi carbunculus se formavit. Pater subito in morbum incidit; primum oedema totius manus dextrae, tum demum carbunculus ortus est, quo exciso aegrotus mortem effugit. Simile quoddam in pago Jeżewo evenit, quo quindecim homines Pustula affecti sunt. Omnibus, qui cutem vaccae mortuae detraxeraut, pustulae in vultu exstiterunt. Caro quoque divisa est et morbus brevi tempore ortus est. Multi, qui carnem nunquam attigerunt, in quorum numero quinque infantia erant, pustulis in antibrachio, in cervicibus, in collo, in ore; unus quoque in propinquo rure, quia in pago Jeżewo carne etiam usus est, — et affirmem carnem unicam causam morbi fuisse — affecti sunt. Puella quaedam octodecim annorum, quae in pago Ojżanowo apud vicinum coctam carnem vaccae, Pustula maligna necatae, ederat, levi febri, vertigini succubuit, et tum pustula in antibrachio sese formavit, quae tamen abortive sublata est. Omnino observationem feci, apud adolescentes usque ad viginti annos, prima symptomata non defuisse, sed carbunculo amoto, brevi tempore sublata esse, eosque jam paucis diebus post, laborare potuisse; quum homines seniores tres vel quatuor hebdomades gravissime aegroti fuissent, et post duos demum menses levem laborem subire potuisse. Puella quaedam sedecim annorum ungue sibi pustulam orientem erasit et tribus diebus post laborem suscipere potuit. Utrum homines anhelitu contagine affici possint an non, nescimus. Spinola tamen de equorum mercatore quodam narrat, cui multi equi eam ob causam mortui essent, quia sanguis necati atque obducti equi prope introitum stabuli fuisset; quum vero re-

liqui sani equi in aliud stabulum traducti essent, ubi nulli essent vapores, contaginem se monstrare desiisse. Nihil nobis praetermittendum est, quamquam contaginem hanc tantam vim et concentrationem vaporum habere posse, dubitandum est. Unica infectio eosdem homines a postera non defendit; incertae tantum observationes factae sunt, posteros morbos non tam graves fuisse. In morbo ipso inoculatio vim atque effectum nullnm habet, ut supra commemoravi, quamquam sub cutem ipsam sanguinem e carbunculo inserui; carbunculus nullus exstitit atque vulnus cito sanatum est. Succorum animalium aegrotorum alii majorem, alii minorem contaginis intensitatem habent. Exempli causa sanguis eique similes materiae ut succi nutrientes, facilius inficiunt, quam secreta, quae nihil aliud quam diarrhoeam, alvi dolores aliasque debilitates, sine ullis specificis indiciis efficiunt. Alia aegrotorum elementa magis, alia minus rapida venena habent. In vita atque in morte ipsa infectio vehementior est quam postea, quamquam longius adhuc tempus durat, qua de re singulare exemplum de cute ursi in Russia, quae multos homines infecit, priusquam combusta esset, habemus. Neque siccatio, neque coctio, neque ventilatio contaginem diruit. Cutes, crines, ossa, sebum infecerunt magnum numerum coriariorum, pellionum candelas sebantium eorumque, qui conclavium parietes tapetibus ornant.

Ita Parisiis, in officina quadam crinum, ubi sex vel octo homines laborant, per decem annos viginti, Pustula affecti, mortui sunt. Contentiones quoque reperio contaginem multos menses atque annos humi durare et at herbas adeo, ibi crescentes, contaginem traduci, sed id acuratius inquirendum est si verum haberi volumus. Atria contaginis tota est corporis superficies, praecipue vero vulnera parvaeque exulcerationes, quae nonnunquam non observantur. Persaepe evenit non manum, aegrota animalia vel carnem eorum attingentem, sed alios cutis locos, ut orem atque collum infici, quamquam contendere nolo malum infici non posse. Viae contaginis diversissimae esse possunt,

persaepe sine ulla probabili causa. Res sanguine, succo, saliva animalium, Pustula maligna mortuorum, maculatas, ut vestes, manus, instrumenta contagiosas esse, facile intelligere possumus; insecta, ut apes, muscae, quae mordeant, vel animalia, quae cutem non vulnerent, causam contaginis esse posse, aliqua ex parte concedere licet; quo vero modo homines, qui neque animalia affecta attingunt, neque carnem edunt, inficiantur, difficillime est intellectu. Ipse Łabiszyni mense Martio, quo neque muscae, neque sunt apes; quo Pustula maligno tota in regione non grassabatur; quo nec ullus quidem morbus hujus generis notus erat, aegrotam Judaeam quandam, in cujus vultu carbunculus magnus se formavit et post multas hebdomades ab Ill. Dr. Gerpe, quem jam supra memoravi, sanata erat, vidi. Incubationis tempus varium est, vulgo paucas tantum horas durat, nunquam vero longius est duodecim dierum; praecipue pendet ille ex intensitate morbi. Nervosam formam febris — Febris pustulosa — apud eos qui carne affecta usi sint, quamquam id negatum sit, esse, nullum est dubium. Sive carbunculus se format, sive non, aegroti initio frigore, tum ingenti calore, qui saepe plures dies non desinit, vexantur. Pulsus apud eos celerrimus, temperatura aucta est, aegroti debiles, artubus omnibus, ut in rheumatismo, dolent; affectus timoris, angoris, vomitionis, libido denique nauseae veniunt; persaepe febris typhoidalis ingruit, pulsus cito diminuitur vires dillabuntur, imbecillitas et deliria sequuntur, quae omnia mortem adducunt. Unus rusticorum, quem accuratius observavi, haec symptomata ostendit. Initio frigore, deinde calore per tres dies et noctes sine ulla mora jactatus est; aviditatem cibi appetendi amisit et per novem dies neque cibum, neque potum postulavit, tamen conscientiam non perdidit. Brevi gemitum, parvum et celerem pulsum et magnam languiditatem orientem vidi, denique carbunculus se formavit, qui est excisus, neque homo ille mortuus est. Chaussier carnis usu, febrim symptomata haec non praebere, indicia tantum gastrointestinalia, ut post usum veneni, exi-

stere affirmat. Aegroti frigore, convulsionibus magnis alvi atque artuum vexantur, cibos viridos evomunt et cum maxima vultus alteratione atque virium prostatione moriuntur. Ea non vidi, itaque indicare non possum. Saepissime morbus hic hominum cum carbunculis incipit, isque non multo post certa parte corporis considit. Primarium sive essentialem carbunculum, in loco affecto orientem et secundarium sive symptomaticum, qui ex universa intoxicatione in externis et internis organis existit videmus. Tum aut diffusam, erysipelatosam aut circumscriptam speciem sub forma nodi, quem pustulam appelamus, observamus. Quomodo haec duae formae comparari possint, non est notum, sed apud hominem semper carbunculum se formantem videmus, quem teneritas cutis, inopia crinum, facilitas epidermidem liquore detrahere vel elevare, adjuvant. Pustulae non ut animalium flavae sunt, sed exsudationibus haemorrhagicis subfuscae, aut nigrae. Primi carbunculi cum puritu atque stimulatione, ut insectis mordentibus, incipiunt, qua de causa superstitio de feria infernali in Laponia orta est. Primum maculam purpuream, nonnunquam cum nigro puncto in medio invenimus. Macula semper dolorem auget; aegrotus radet eam, quam ob rem locus rubescit, turget et papulam format, quam Slavi: »matka« appellant. In papula, pustula crescit, quae liquorem flavum continet. Haec est pustula maligna, quae raro una, saepius cum multis aliis reperitur. Materia ejus neutra est atque metalla denigrare dicitur. Sub pustula nodus est cum caerulea superficie, qui profundum petit. —

Gangraena procedit, corpus celerrime putrefit, glandulae et vasa lymphatica intumescunt, rubescunt et brevi tempore vel durescunt, vel molles manent et sanguineo, seroso liquore turgescunt. Praeter eminentiam in pustula saepenumero depressionem videre possumus, quae umbilicus nominatur: hic est flavus, sed non multo post subfuscus fit et fundum haemorrhagicum habet, sub quo iterum liquor purulentus cum detritu se nobis ostendit. Saepe accedit, ut infectio localis

tantum fiat, neque gravi morbo generali afficiat. Sphacelus una cum orienti suppuratione decidit et vulnus cito ad cicatricem venit. Hujus generis exempla, quae abortive perierunt, duo vidi, alterum apud puerum septemdecim annorum, alterum apud puellam aetate minorem. Aliquoties gangraena longius procedit uti inflammatio quaeque vulgaris, febrim tamen typhoidalem non evocans. Auxilio cito allato negrotus facile sanari potest; attamen non multa hujusmodi exempla se nobis praebent. Si infectio jam adulta est atque symptomata non accutissima sunt, morbus ab una hebdomade usque ad unum mensem vel diutius commoratur; tum morbo affectus magna cum exinanitione alvi et criticis doloribus salvus fit. Nonnunquam evenit, ut localis affectio parva maneat et generalia symptomata initio desint; subito tamen magna debilitas, magni dolores epigastrii et alvi, pulsus parvus et mollis, frigus extremitatum sequitur, aegroti vertigine corripiuntur et mors paucis horis venit. In morbo secundario formationem externam carbunculi, symptomata generalia praecedunt. Aegroti dolores se in epigastrio habere queruntur et non solum in alvo et intestino, sed etiam in ceteris alvi organis nodi reperiuntur. Carbunculi, qui postea in externo corpore se formant variis in locis considunt. Partes, quibus carbunculi erupturi sunt, saepe valde intumescunt et, si in collo vel in pectore oriuntur, oedema suffucationem quoque adducere potest, aegrotique aegre spiritum ducunt; si in ore, ita oculos tegit, ut laborantes plures dies luminibus orbentur. In obductione, quam ipse observavi, cutem in toto fere corpore subfuscam, multa ecchymomata, meninges sanguine turgescentes, in ventriculis serosum, sanguineum liquorem, sanguinem ipsum pernigrum, tenuem, qui coägulationis vim perdidit, cadaver, quamquam proximo die obductum, omnino jam putrefactum vidi. Organa digestionis permultis Ecchymomatibus et injectionibus pertecta; lien modico amplificatum et molle erant. Glandulae lymphaticae majores quam vulgo, molles et frangiles fuerunt; pulmones valde hyperaematosi cum inflammatoriis

injectionibus; in hepate duri, albi nodi, carcinomatosis abscessibus similes, quos sine microscopio observare non potui, inventi sunt. Carbunculus cum gangraena, in regione musculi gastrocnemii, usque ad tibiam se porrexit. In cavo pectorali atque abdominali non parva copia liquoris serosi et sanguinei inventa est. Singuli carbunculi etiam in omento et mesenterio, in alvi et intestini parietibus esse dicuntur, quos ipse invenire non potui. (Bayer, Barez, Sanson.)

Therapia subtilis videlicet in excisione partium infectarum constat, et quo celerius aegroto auxilium affertur, sanatur. Quod ad prophylaxin omnia, quae sunt ab animalibus, pustula maligna affectis, diruenda atque tollenda sunt. Carnis usus edictis disciplinae publicae severe est vetandus, cutes animalium non sunt detrahendae, ipsa procul a stabulis et profunde in terram infodienda. Vestimenta, quae dirui non potuerunt, Kali chlorico, Aqua chlorata purganda sunt; stabula Chloro fumificanda; homines sanguine animalium necatorum maculatos simili modo se purgare necesse est. Vulnera, si quae sunt, cito radenda. Pustula jam formata quam celerrime tollenda est. Optima ratio est omnes partes externas affectas, vel jam gangraenosas, cultro exsecare et tum ferro candenti vel, si possibile, galvanocaustica bulla potius profunde, usque ad sanas corporis partes, exurere. Si id fieri non potest pleraeque incisiones quum decussatim, tum in circulo faciendae, atque diligentissime cataplasmata e concentrato acido sulphurico — nitrico — vulneri imponenda sunt. Etiam Butyrum antimonii, Kali causticum, Argentum nitricum si necesse est, non sunt rejicienda. Si suppuratio venit et ulceris crusta jam sese formavit, curatio lotionibus excitantibus adhibenda est.

Medicamentorum internorum nullum specificum habemus, generalia symptomata tantum respicienda atque curanda sunt. Si homines aegroti lacte vel carne animalium, Pustula mortuorum, vescebantur, emetica iis danda sunt; si alvus est restricta laxantia, ante omnia Hydrargirum mu-

riaticum mite, proponendum est. Functionem cutis balneis, frigidis frictionibus, lavationibus cum Acido acetico adjuvare debemus. Postea Chinium, Kali chloricum, acida mineralia, antiseptica et multa alia adhibenda sunt. Si aegrotus convalescere incipit, jus carnis et vinum danda sunt. Contra oedemata calida cataplasmata cum medicamentis excitantibus bonum effectum habent.

VIII. Diagnosis et prognosis.

Diagnosis saepe difficillima est, praecipue, quum Pustula maligna nusquam grassetur. Nonnumquam anamnesis tantum causam morbi declarare nobis potest. Praesertim morbus hic cum veneficio confundi potest, quod tamen raro evenit. Affectio localis cum aliis carbunculi formis commutari potest. Turpore tamen Pustula maligna, magnitudine, duritie, inclinatione ad externas partes mumificandas et progredienti pustularum formatione, denique universa debilitate, distinguitur. Cum ceteris carbunculi formis, ut cum carbunculo vulgari, cum carbunculo humido atque farciminoso, cum carbunculo pestilentiali, cum noma, Pustula quoque confundi possit. Sed diagnosin differentialem neque volo, neque explicare possum, quia fines dissertionis ejus id non permittunt. Prognosis si auxilium cito venit et affectio tantum est localis; si carbunculus in opportuno loco sese formavit, ut in manibus, pedibus, vel trunco, satis est fausta; infaustior si carbunculus in collo oritur, quia tum magnum oedema apoplexiam adducere potest; infaustissima denique si generalia symptomata morbi se nobis praebent, vel, si carbunculus in temporibus vel prope orbitam considit, quia inflammatio facile meninges et cerebrum afficere potest. Eorum aegrotorum, quos ipse observavi, et quorum numerus, ut jam prius dixi, non parvus fuit, uno excepto, nemo mortuus est; quod nihil alio nisi celeri curationi attribuere possum, loci enim carbunculorum periculosissimi fuerunt.

Haec sunt, quae ipse vidi et quae gravissima mihi in Pustula maligna esse videntur; attamen non dubito, quin hoc morbo accuratissime ac diligentissime pervestigato atque perquisito, certis mutationibus detectis, indicia sint futura. Nunc te rogo lector benevolentissime, ut mihi indulgeas, si quae in his meorum studiorum primitiis peccavi, speranti, fore, ut hoc opusculum meum alios quoque suscitet ad morbum hunc diligenter observandum.

VITA.

Nasus sum Boleslaus die XXII M. Januarii a. MDCCCXXXIX in pago, Magni Ducatus Posnaniensis, Gorzyce, patre Apolinario de Daszkiewicz, Lithuano, procul a patria, maximo cum dolore meo, mortuo, matre Carolina, e gente de Kieszkowska, quam dilectissimam ut Deus per longum tempus incolumem mihi servet, in dies oro et praecor. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis domi imbutus atque unius intervallo anni Krotoszyni in Gymnasio reali satis instructus, undecim annos natus, Tremesnensi Gymnasio traditus et in ordinem sextum receptus sum a beat. Directore Dziadek. Spatio novem annorum circumacto testimonium maturitatis a Directore Szostakowski, viro de philologia praeclare merito, adeptus sum, et per unum annum theologicis studiis operam navavi. Mense Novembri a. MDCCCLXI ad hanc almam litterarum Universitatem Viadrinam accessi et a Semischio V. Ill., tum fasces academicas tenente, civium numero academicorum adscriptus apud Ill. Middeldorphium id temporis gratiosi medicorum ordinis decanum spectabilem rite nomen dedi. Novem semestria scholas frequentavi virorum celeberrimorum: Aubert, Barkow, beat. Betschler, F. Cohn, Foerster, Cybulski, Freund, Grosser, Grube, Haeser, Heidenhain, Klopsch, Lebert, Loewig, Marbach, Middeldorpf, L. Majer, Spiegelberg, Waldeyer. In exercitationibus anatomicis Ill. Barkow, in physiologicis Ill. Heidenhain, in clinico et policlinico medico Ill. Lebert, in clinico et policlinico chirurgico

Ill. Middeldorpf, in clinico et policlinico obstetricio Ill. beat. Betschler et Spiegelberg duces mihi fuerunt benevolentissimi et excelentissimi. In exercitationibus clinicis et policlinicis benignissime me adjuverunt: Exp. DDr. Reinhardt, Dittmar, Caro, Fuhrmann, Jaensch, Humelet, Schiffer, Sommerbrodt.

Quibus omnibus igitur viris gratias debitas ex animi sententia et nunc ago, et semper grato animo me eos prosecuturum esse, asservo.

Nunc vero tentaminibus et phisico et medico, nec non examine rigoroso cum laude superatis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque rite palamque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

Tuberculosin in progressa aetate saepissimam esse puto.

Arteriam vertebralem sinistram saepenumero angustiorem dextra invenire possumus.

Polypos laryngis modus removendi galvanocaustico vinculo optimus est.

Extensionem Pustulae malignae solum magistratus, quibus publicae securitatis cura delata est, impedire possunt.

Contractionem atque expansionem portionis vaginalis uteri nullum certum partus incipientis signum esse affirmem.